

§. 1. Definitio constat *Genere & Differentiâ*. *Genus* sunt *Accidentia*. Per quæ non intelligimus *accidentia prædicabilia*, quæ adesse vel abesse possunt salvis subjectis, id enim de *Affectionibus corporis naturalis* asseri nequit, cum propria sint & nunquam à subjecto suo separentur; sed prædicamentalia, quæ substantiæ contradistingvuntur. Primum enim substantiam seu corpus naturale habemus, hæc dein accidentia sua, quibus mediantibus operationes suas exerit, cum nulla substantia creata sit immediatum actionum suarum principium.

§. 2. *Differentia* desumitur partim à *Subjecto*, cui insunt vel adsunt *Affectiones*; partim à *conditionibus* inessendi vel adessendi. *Subjectum* Corpus naturale est. Hoc enim in totâ physicâ tradendum, & ad hoc omnia, quæ in *Physicâ* traduntur, referenda & ordinanda sunt. *Conditiones* sunt, quod debeant corpori Naturali 1. *inesse vel adesse*. Quæ alternatio fit ob differentiam affectionum intrinsecarum & extrinsecarum, quarum illæ corpori naturali insunt vel inhærent, ut *Quantitas, qualitas, motus & quies*; hæc adsunt vel adhærent, ut *locus & tempus*. Non tamen istæ puræ & absolutè extrinsecæ sunt, ut *arma & vestis homini*, quæ separari possunt, sed item ex essentiâ corporis fluunt, & essentielle ejus principium insequuntur, ideòq; tantum respectivè sic vocantur in comparatione ad alias *Affectiones*, quæ adhuc magis esse videntur conjunctæ cum corpore. Ab extra quidem corpori Naturali adveniunt, ob internum tamen principium ei conveniunt. 2. *inesse vel adesse omni*. Tradimus enim hîc affectiones communes & Generales, quæ ad omnia corpora naturalia spectant; non proprias & speciales hujus vel illius corporis puta *lucem, colorem, calorem, frigus &c.* Ut omnia & singula corpora naturalia communes habent causas, *Materiam & Formam*; Sic etiam omnia & singula communes affectiones habent, essentiam per causas constitutam necessariò insequentes. Hac tamen cum distinctione, ut quædam solitariè & sine oppositi illatione; quædam